



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XIV. Absolvitur Liber apologeticus nonnullis adnotationibus in
Eucharisticum hymnum Te Deum Laudamus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83642](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83642)

bello ad Imperatorem Valentinianum adversus Sanctos Episcopos veritatem fabellis tragicis macularunt. Ibi primum Hosii cum Gregorio Boetico dissidium, & illius mors atrocissima confecta sunt, pluraque in Athanasium & Hilarium inverecunde adinventata. Illinc exscriptis Isidorus tragediam deplorabilem, inseruitque Historiae virorum illustrium: aut certe affuit Theodiscus illius in sede Hispalensi successor. Quamobrem æ-

quum est, ut major fides præstetur Athanasio Scriptori Synchrono, atque integerrimo, quam Isidoro ab Hosii ætate valde remoto, & qui scripsit post corruptam à Luciferianis historiam. Id vero cæteris Hispaniarum Scriptoribus potuit facilius contingere, inter quos multi sunt apud citatum Aguirre in Hosium benigniores. Si quis præclara ipsius merita velit cognoscere, legat Epistolam Athanasii ad solitariam vitam agentes.

C A P U T XIV.

Absolvitur Liber apologeticus nonnullis adnotationibus in Eucharisticum hymnum *Te Deum Laudamus*.

S U M M A R I U M.

1. & 2. Affertur triplex ratio, cur hæc quaestio pertractetur.

3. Propugnatur SS. Ambrosium, & Augustinum fuisse hujus hymni Autores. à num. 4. usque ad 8. Removentur contraria.

1.
Annotatio-
nes super
Hymnum
Te Deum
Laudamus.

PRIUSQUAM de tabula manum tollam, triplex ratio suadet, ut de hymno gratiarum Ambrosio, & Augustino inscripto pertractem; non ita tamen, ut pariam prolixitate fastidium. Ratio prima est, quod Ecclesia perantiquæ traditionis verax & inviolabilis Magistra à pluribus sæculis prædictum hymnum recepit: in quo Deum unum, æternum Patrem, verum & unicum Filium, & Paraclitum Spiritum laudamus, & confitemur. Fidem itaque Catholicam Trinitatis, Scripturis ac Patrum traditione ad nos derivatam Ecclesia Christi frequentissima hujus hymni recitatione confirmat. Illum ergo in dissertatione, qua fidem istam vindicare studui, importunum nequaquam videtur commemorare.

2.
Conjecturæ
super Hy-
mnium.

Deinde movet me, quod eruditi viri quamplurimi prædictum hymnum SS. Ambrosio & Augustino prorsus abjudicant, quorum non leves sunt conjecturæ. Primo enim ignotum esse Auctorem colligunt ex antiquioribus Mss. in quibus neque Ambrosio, neque Augustino tribuitur. In Vaticano Psalterio inscribitur *hymnus S. Sisebuti*. In Breviario Aniciano *Hymnus S. Abundii*: inscribitur in altero Psalterio Gallico Sancto Nicetio, & apud Edmundum Martene Hilario Pictaviensi. Tanta Auctorum diversitas, ait Pagius ad annum 388. satis ostendit latere adhuc hujus Cantici Auctorem. Ad hæc nemo invenitur, ut verbis utar PP. Bened. Tom. 2. Oper. S. Amb. p. 1217. hac nostra ætate tam plane rudis, qui fabulam esse inficietur eundem hymnum

post baptizatum ab Ambrosio magnum Augustinum fuisse ab utroque alternis vicibus decantatum. Præterea invaluit hæc opinio ex Chronico S. Datii Mediolanensis, quod suppositum opus esse arbitrantur Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorii, Gavantus in Rubricis, Mabillonius Tom. 1. Analectorum, & qui accurate Ambrosianæ Bibliothecæ Codices lustravit, Ludovicus Muratori. Rursus ab uno Ambrosio fuisse conscriptum nonnulli probare conantur, ex quo in forma Dialogi non sit editus. Demum animadvertit Lorinus in Ps. 27. versiculum Cantici, *Salvum fac populum tuum, Domine, & benedic hereditati tuæ*, aliter legi tam in Psalterio Ambrosiano, quam apud Sanctum Patrem Augustinum: unde oritur suspicio, neque ab uno, neque ab altero fuisse compositum. Ita rationes non videntur deesse, quibus vetus opinio rejiciatur.

Attamen, omni partium studio deposita, arbitror debiliores esse conjecturas istiusmodi, & hymnum revera edidisse Ambrosium, & Augustinum, ut Bartholomæus Urbinas in Præfat. ad Milleloq. Jacobus de Valentia de hoc Cantico, Lancillotus, aliique nostrates, ut ex Congregatione Discalceatorum Eustachius à S. Ubaldo, necnon citato loco Lorinus, Radulphus Tungrensis Prop. 13. de Can. observat. & innumeri cujusque Ordinis Scriptores tradiderunt. Quod hac ratione ductus ostendo. Recedendum non est à vetusta & communi traditione, nisi hanc valida argumenta revincant. At quidquid eruditi viri

3.
Autores
Hymni sunt
Ambrosius &
Augustinus.

viri producant, ut antiquam de Cantico isto traditionem refellant, perleve est, nec ad eam labefactandam est satis. Itaque à communi, & pervetusta traditione, qua hymnus Ambrosio & Augustino tribuitur, nullatenus est recedendum. Communem esse hanc traditionem liquet ex Breviario Romano, Ambrosiano, & Monastico; esse perantiquam fatentur doctissimi viri Antonius Pagius ad annum 388. n. 11. & Mabillonius in dissert. de Azyro & ferm. cap. vi. & probatur ex libro Ms. Psalmodiarum, quem Carolus Magnus misit ad Hadrianum Papam proculdubio ipso Carolo Magno vetustiores, & pretio antiquitatis existimandum, aut saltem ex antiquiori exaratum, alias non esset donum vere magnificum & regium. In hoc ergo vetustissimo Ms. cujus Autographum asservatur in Cæsarea Bibliotheca extat Canticum istud cum epigraphæ: *Hymnus, quem S. Ambrosius & S. Augustinus invicem condiderunt*. Præfert hunc titulum etiam in libris Alcuini, qui clarissimus Bedæ & Egberti discipulus fuit, & ejusdem Caroli nobilis præceptor. Appellant quoque Mediolanenses viam, quæ à laterali janua Ecclesiæ S. Ambrosii ducit ad alteram, in qua fertur Augustinum fuisse baptizatum, *la via del Te-deum*; cujus nomenclaturæ originem nullam aliam possumus adinvenire; & est tempus, quo primum invaluit, immemorabile.

4.
Conjecturæ
refelluntur.

Quantum vero infirmæ sint superiores conjecturæ, quis non facile intelligit? Sisebutus fuit Monachus Cassinensis, floruitque, ut constat ex hujus Ordinis Monologio ad xv. diem Martii, anno 1082. At S. Benedictus in Regula scripta circa annum dvi. præcipit, ut *Post quartum responsum incipiat Abbas Hymnum Te Deum laudamus*. Hæc in regula Benedicti cap. xi. Quando ergo magnus ille Monachorum Pater instituit venerandissimum Ordinem, notum erat præfatum Canticum, imo & Ecclesiæ usu probatum: non enim Benedictus hymnum novum & inusitatum Officio Dominicæ addidisset; atque viri docti multo ante cantatum fuisse tradunt in Natalitiis Pontificum. Eapropter nullus Monachus Cassinensis, ut fatentur PP. Maurini in Præf. ad Hilarium Auctor est hujus Cantici. Sed neque Hilarius Pictaviensis, aut Abundius, aut Nicetius, pro quibus vix stat unius Ms. nec perantiqui, testimonium: nec quanta in uno volumine veteres Amanuenses diversorum scripta confuderint, neminem fugit. Ita fieri potuit ut inter alio-

rum opera hymnus iste locum habuerit, aut forsitan fini fuerit appositus ad gratiarum actionem. Prior ergo Recentium Criticorum conjectura non videtur esse firmissima. Id vero, quod asserunt Benedictini in notis ad Hymnos Ambrosii fabulam esse vulgarem opinionem, Canticum *Te Deum* ab Ambrosio & Augustino alternis vocibus decantatum fuisse, me nihil commovet: sæpe enim veritas falsis circumstantiis vestitur; nec refert si Canticum ex tempore Ambrosius & Augustinus alterne cecinerint, aut ab utroque editum & conscriptum Clerici Mediolanenses: unde in iis, quæ ad compositionis modum attinent, sum ego piscis, hoc est, innatans, & mutum animal.

Nonnihil movet, quod scribunt in Præf. ad Hilarium, vulgarem opinionem solo niti *Pseudo-Datii Chronico lib. 1. cap. 10.* At aliter Joannes Mabillon, nomen ipsis, & universæ literariæ reipublicæ splendidissimum. Is citata dissert. de Azyro tria ad rem nostram percommoda docet: primum, non in solo Chronico Datii, sed etiam in pervetusto Psalterio Caroli Magni, de quo supra, Canticum istud referre nomen SS. Ambrosii, & Augustini; atque hæc statim addit: *Quod ut parum certum sit, hinc tamen apparet persuasionem de auctoribus istius Cantici non esse admodum novam & recentem, sed aut ipsius Datii tempore, aut paullo post receptam*. Quare Mabillonius; licet parum certam opinionem nostram concedere videatur, negat niti solo Chronico Datii, & ex ea posse ipsum Chronicon reddi suspectum. Deinde observat idem Chronicon sub nomine Datii citari tum apud Paulum Diaconum lib. xvi. historię Miscellæ, tum apud Anastasium in vita Silverii: unde infert, *fatendum est, aut Datium ejus esse auctorem, aut aliquem alium Paulo Diacono, id est, octavo sæculo superiore*. Deinde ait, quod etiam si Chronicon istud esset ævi recentioris, non tamen continuo respuendum est, quidquid in illo contineatur, cum Auctor, quisquis tandem ille sit, potuerit id ex veteribus monumentis accipere. Quæ dicuntur quidem à Mabillonio de Azyro, sed possunt etiam Cantico Eucharistico accommodari. Itaque vulgaris opinio neque nititur solo Chronico Datii, neque istud manifeste est suppositum, neque, ut tale sit, respuendum est quidquid in eo continetur. Atque his tertio argumento satisfactum iri confidimus.

Chro-

6.
Chronicum
Datii apo-
cryphum.

Chronicum autem Datii ex duplici capite habetur apocryphum, primo quia producit usque ad annum Christi 1067. deinde, quia apud Ladulphum eadem, iisdemque verbis narrantur. Sed his satis est respondere, Datiano Chronico aliqua accessisse additamenta, quod in Scripturis hujus generis ut plurimum solet contingere. In exemplo est Chronicon Eusebii, quod ille produxit ad annum vulgaris Aerae 326. & Hieronymus ad annum 379. Libri enim Annalium ac Temporum indies crescunt; & in unum corpus quandoque necuntur. Cumque juniores Chronologi exscribant, aut in epitomen redigant historias antiquiorum, nil mirum si in Ladulpho occurrant permulta, quae sub nomine Datii alibi inveniuntur.

7.
Solutio.

Leviora sunt, quae ulterius objiciuntur, scilicet, apparere ex MS. annis quadringentis antiquiore, ex eo, quod in Cantico forma dialogi non servetur, editum à solo Ambrosio. Revera enim Ambrosianum possumus appellare, si ex parte Sanctissimum Antistitem habet Au-

ctorem, ab eoque dicitur inchoatum. Neque more Dialogi texendum erat, cum non sit mutuum Ambrosii & Augustini colloquium, sed utriusque oratio Eucharistica: etenim *διαλογισμοι* est colloqui, & adinvicem disceptare. Deprehendimus denique non raro, inquit Lorinus, longe aliter Ambrosium & Augustinum legere textum Psalmorum, quam sit in Ambrosiano Psalterio, & consequenter nihil ob stare potest quod in Cantico legatur *hereditati tuae*, & in Psalmo *hereditatem tuam*, minima, ut apparet, discrepantia. Receptae itaque traditioni de Auctoribus hymni Eucharistici non videtur propter istiusmodi conjecturas esse contradicendum.

Habes duplicem causam, propter 8.
quam de hymno *Tu Deum* in fine libri Corolla-
de Trinitate Apologetici breviter pertra-
ctavi. Forte dices, me principio hujus
Capitis causas tres indicavisse. Ita est.
Tertiam habeto: ut libro finem faciat
Canticum Ecclesiasticum, quod in-
scribitur *De fide Christi, & Pro*
gratiarum actione.

